

sponte suâ offerat ad docendum. Quomodo enim quispiam id poterit alium docere, quod ipse nescit?

2. *Minas de incantandis aliis*, præcipue si minæ fuerint cum eventu conjunctæ, id est, damnum seu malam, quod suspectus de magia minitatus est, reverà fuerit subsecutum. Cum primis quando mulier, quæ juxta depravatam naturam cupida vindictæ est, in hoc genere nocendi minas fecerit. Hinc si damnum ad minas sequatur, indicium præbet ad torturam. Godelman. l. 3. c. 10. n. 17. p. 107. de Mag. & Venef. Et licet minæ non probent factum, probant tamen inimicitias capitales, è quibus animus nocendi colligitur. Vide Besold. in Thes. Pract. Voce Hexen. n. 2. fol. 398.

3. *Frequentem & familiarem cum notis, & fere conviciis Magis conversationem*: quia similis gaudet similibus conversatione & moribus, nisi legitimæ causæ conversationis cum Magis allegari possint: illæ enim si in promptu deprehensæ & veræ fuerint, faciunt cessare torturam.

4. *Tractationem rerum suspectarum de Magia*, veluti si quis habeat vel etiam tractet res suspectas, vel utatur verbis, gestibus, & operibus suspectis & magiam inferentibus. Dico (1.) *Res suspectas* nimirum, si in diffamati vel suspecti ædibus, conclavi, vel etiam arca reperiantur venena mala: vel olla bufonibus aut aliis insolitis rebus repleta. Gilhaus. ad h. art. f. 6. Bodinus lib. 4. c. 2. p. 389. *Dæmonom.* item herbæ malignæ, imagines cereæ acubus transfixæ. Berlich. part. 4. conclus. 4. num. 147. f. 42. Zieriz. ad h. artic. f. 61. Item si penes sagam de magia suspectam reperiat infans occisus, vel instrumentum obligationis & pacti mutui cum Diabolo Manz. ad h. art. n. 17. p. 177. Huc à quibusdam referetur, si quis corpori suo vel ejus membro notam habeat inustam: vel inculpatus deprehendatur signatus notabili quodam signò, ita, ut membrum seu pars corporis videatur destitui sensu, in tantum, ut si acu perforetur, vel cultro scindatur istud membrum, dolor tamen non percipiatur. Interim quia stigmata & cicatrices aliunde possunt nasci, nec legitime inspicere poterit autoritate publicâ corpus ejus, qui de tali crimine nondum est suspectus; Vel etiam si inspicatur, non tamen ex attestatione carnificis hominis vilissimi, qui affirmet, Dæmonis ope stigma impressum esse, magna quædam nasci poterit præsumptio, cum ipse possit vel in indicando aberrare: vel etiam sui commodi causâ mentiri. Quod si tamen stigma istud fuerit suspectum, & si acu perforetur, dolor non sentiatur, neque sanguis appareat, concurrentibus aliis indiciis adminiculum utique præstare potest: